



Ioannes Cochläus Norinbergenatus & educatus est. Is felici ingenio fretus uigilanti studio literis operam dedit, ac in primis S. Theologiæ incubuit. Itaq; factum ut S. Theologiæ Doctor crearetur. Hic Ioannes ab adolescentia Luthero restitit, & Catholicorum partes sedulo defendit. Itaq; 1521 Vuormatiæ sua sponte Lutherum accessit, atq; ei ad ignem usque disputationem obtulit. huic uerò cum Lutherus respondere uellet, comes quidam absidens suam auctoritatem interposuit. Postea Augustæ Vindelicorū in comitijs 1530 fuit, & cum Eccio cōtra Protestantes disputauit. Hinc factum ut Franckofortensis Decanus constitutus sit, & Eras-

mo Roterodamo familiarissimus extiterit. Inde quoq; Ratisbonæ 1546 cum Maluenda & Billickio cōtra Bucerum & socios in colloquio disputauit, atq; sua industria omnibus innotuit. Scripsit is primo Grammatices rudimenta Argentorati 1519 edita. postea aduersus nouam Ecclesiæ apud Bernēses reformationem. Item de Canonice scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ auctoritate, De animarum purgatorio, De potestate generalis Concilij, & aduersus Melanchtonis Locos communes, cum alijs huiusmodi. Vnde apud multos magnam is gratiam inijt, & omnibus notissimus fuit. Anon.